



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Leo I Papa. Zelus pro Ecclesia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. LEO I PAPA.

Zelus pro Ecclesia Dei.

Exaudi quæsumus, Domine, preces nostras, quas in B. LEONIS commemoratione deferimus: & qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis Ecclesiam tuam de fidei inimicis fac triumphare.

Ora pro exaltatione S. Ecclesia,

LEO, S. R. E. Diaconus, Volaterris in
Tuscia natus, mortuo S. Sixto III ele-
ctus an. 440 & Pontifex ordinatus, difficilli-
mis temporibus rexit Ecclesiam annos 21,
mensem 1, dies 23. Is inter plures ejus no-
minis Primus & Magnus merito dictus, de-
prehensos Romæ Manichæos exterminavit,
coacta contra eos Synodo ad an. 444; & per
Chalcedonense generale Concilium anni
450 Nestorii, Eutychetis, atque Dioscori he-
reses profligavit. Biennio post irrupentem
in Italiam Attilæ Hunnorum Regi, qui se
Flagellum Dei dicebat, obviam progressus,
majestate plus quam humana retro ire præ-
cepit, & obedientem habuit non sine mira-
culo. Simili auctoritate persuasit Geinserico
Wandalo, ut in Urbe an. 455 capta, præda-
bundum militem ab incendiis, stupris, cædi-
bus prohiberet. Obiit an. 461, egregia scrip-
tarum homiliarum & epistolarum monumen-
ta post se relinquens, & cultum: etiam apud
Græcos nactus 28 Februarii. Corpus, sepul-
tum ad S. Petri, Sergius I circa an. 700 ele-
vavit adhuc integrum; quale etiam repertum
est an. 1607.

*Scias quomodo oporteat te in domo Dei con-
versari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna &
firmamentum veritatis. 1 Tim. 3.*